



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum LII. Tantali & Tantalidum tragœdia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

SYMBOLVM LII.

Tantali, & Tantalidum Tragoedia.

Ex Homero lib. 2. *Odyss.* Virgil. *Aeneid.* lib. 6. Seneca *Thyeste.* Ovid.
9. *Metam.* Mythologo lib. 6. c. 18. &c.

Ethicè.

1. Avaritiæ sitis inexplebilis. 2. Qualis stirps, tales rami. 3. Ultrix conscientia.

SI quid unquam cothurno dignum, Poëtarum ingenia excitavit ad scribenda tristia, effera, crudelia, immania, nefanda, tum enim verò fuit, sive historia, sive fabula (aut utrumque potius) quæ de infelici & impio Tantalò, eiusque dirâ progenie narratur. Nos rerum tragicarum seriem in pauciora contractam dabimus.

Tantalus Jovis, ex *Plote* Nympha, filius, Rex Phrygiæ, cum fortè Deos convivio excepisset, *Pelopem* filium, ut eorum divinitatem experiretur, membratim discerptum, coctumque iis apposuit, comedendum. Illi verò à nefandis epulis abstinuere omnes, solâ Cerere excepta, quæ pueri humerum devoravit, pro quo dii eburneum restituerunt, revocataque per Mercurium ab inferis animâ, Pelopi vitam reddidere; patrem verò tanti sceleris autorem ad inferos detruserunt, ubi perpetua fame & siti torquetur, aquis mento tenus immersus, pomis, quæ capiti eius imminet, captationem oris fugientibus. Hic Pelops ductâ *Hippodamiâ*, *Oenomai* Elidis filiâ, magnis opibus affluxit, & Peninsulam in dote acceptam, à suo nomine *Peloponnesum* appellavit. Ex ea duos filios suscepit, haud sanè avo meliores, *Thyestem* & *Atreum*. Hi alternis annis regnandi vices pacti sunt. *Thyestes* ortis ob invidiam & cupiditatem dissidiis, adjuvante *Erope* fratris uxore, quam in adulterium pellexerat, *aureum arietem*, in cuius possessione erat fatum regni, surripit, & male conscius in exilium abit. *Atreus* evasisse dolens, missis suis filiis, velle sese in gratiam redire simulat; oblata regni parte, reditum illi suadet & persuadet. Domum reverso fratre, tres filios eius, quos interea obsides acceperat, quique parenti redeundi fiduciam fecerant, ad aras immolat; partimque assos, partim elixos patri nescienti, epulandos apponit, mistumque vino cruo-

rem,

rem, illi præbet. Sub finem nefandi convivii (quod sol, ne videret, re-
fugit) capita illi & manus filiorum ostendit, quasque dapes absumpserit,
narrat. Ille diras omnes & execrationes in nefandæ mensæ structorem
regessit, & novo scelere scelus ulcisci cogitavit.

Cæterum Thyestes nihilo melior, quam frater Atreus, ex infando
concubitu (filia scilicet) *Agisthum* sustulit, quem infantulum, mater sce-
leris tegendi causâ, feris exposuit in silvis; sed is à pastore inventus,
eiusque beneficio nutritus est, adhibitâ caprâ, quæ lac ei præbuit; unde
appellationem *Agisthi* accepit. Hic adultior factus, impellente patre,
Atreum patrum interfecit, & eiusdem filium *Agamemnona*, adjunctus à
Clytemnestra illius uxore, cum qua etiam turpissimè consueverat, per in-
fidias obruncavit. Cædem adultera, *Orestis* quoque filio machinabatur,
nisi *Electra* sororis solertiâ neci subtractus & ad *Strophium*, regem *Pho-*
cidis, clam educandus missus fuisset. Qui adultiore jam ætate Argos re-
diit: & cum Legatis Phocensibus (quos Strophius ad *Agisthum* miserat,
tandem *Orestis* mortem nuntiatus) ad *Clytemnestram* intrōmissus,
unâ cum adultero eam interemit. Propter quod scelus agitatus est furii
Orestes, quibus non ante purgari potuit, quam ad aram *Diana Taurisæ*,
à *Pylade* amicissimo perductus, perpetrata facinora expiasset. Alii refe-
runt, à sorore eius *Iphigenia* (cùm per *Ulysses* astu abducta, quasi *Achil-*
li nuptura, jamjam immolanda esset, *Diana*que eius miserta, cervam sub-
stituisse) in Tauricam regionem translata, & à *Thoante* rege sacris eius
deæ (quæ humana carne fiebant) præfecta, fratrem *Orestem* agnitum,
crudeli sacrificio liberatum, cum eo, occisò *Thoante*, fugam in Italiam
fuisse arreptam: denique tamen morsu viperæ occisum. Habuit verò
Orestes omnium profectionum & periculorum socium *Pyladem*, cum quo
tam sanctè amicitiam coluit, ut alter pro altero mori non recusârit. Cùm
ignorante *Thoante* (inquit *Tullius* in *Lælio*) uter esset *Orestes* (quem
morte destinârat) *Pylades* verò se *Orestem* esse diceret, ut pro illo necare-
tur, *Orestes* autem ita ut erat, *Orestem* se esse perseveraret, utrique à cir-
cumstantibus applausum est.

Ethica.

I. (a) Luculentum divitis avaritiæ schema *Tantalus* est, ideòque
omissis cæteris, quæ fabula dedocere possit vitia, hanc in *Tantalo* perse-
quemur. Hospitiò deos excepiisse fingitur, quia dives erat, & divitiæ

P p

viden-

(a) Avaritia suis inexplebilis.

videntur homines ad deorum consortium evehere, cum nihil non possit pecunia, beatusque putetur, quisquis eas possidet. Honores, gloria, fama, nobilitas, plausus hominum, & rerum omnium felicitas comitantur opulentiam. Filium *Pelopem* apposuit in cibum caelestibus convivis. Quid enim? avarus etiam ossa rodit sua, & sanguinem, si posset, vestigalem faceret. Nullum est officium, inquit Tullius *pro Quintio*, tam sanctum atque solenne, quod non avaritia comminuere atque violare solet. Vilis est ei honestas omnis, fides, pietas, religio, cui pretiosa sitis est auri. Deum avarus prodit, nedum homines; patriam, parentes, liberos venales expositurus, si liberalem emptorem inveniat. Egregie Sallustius in *Catilinaria*: Avaritia fidem, probitatem, ceterasque bonas artes subvertit; proque his superbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocuit. Et Satyricus,

----- Sed quæ reverentia legum.

Quis metus aut pudor est unquam properantis avari?

Et illa *Furiarum* maxima, scilicet *Megara*, quæ juxta Maronem,

--- manibus prohibet contingere mensas,

Exurgitque facem attollens, atque intonat ore.

Quid aliud est quam mordax cura, perdia pernox avarum excrucians, & nullam ei quietis partem concedens; in lecto, in mensa, ubique assidet truci aspectu, & miserum torquet, partim sollicitudine acquirendi, partim metu acquisita non amittendi; absterret ab epulis, dum *Euclio* suum ipse defraudat genium, & vel jam putrida & rancida apponit; vel tam sordide & præparcè, ut merito audiat illud *Martialis* lib. 5. *σῶνα νεεῖζεν. Ficus dividit*, & quod *Aristotelis* ait, *Cuminum fecat*. Id quod memoratus Poëta cuidam esuritori occidit lib. 1.

Déque decem plures semper servantur olivæ;

Explicat & cœnas unica mensa duas.

Dum reliquæ in alteram & tertiam inferuntur, nec tamen præ sortitæ comeduntur. *Lepidius Plautus* in *Aulularia*, Act. 2. Scena 4. de *Sordissimo Euclione*.

Qui divum atque hominum clamat continuo fidem,

Suam rem perisse, seque eradicari,

De suo sigillo fumus si quæ exit foras;

Quin dum it dormitum, follem obstringit ob gulam,

Ne quid animæ fors amittat dormiens.

Aquam hercle plorat, cum lavat, profunderè;

Quia

Quin ipsi pridem tonsor ungues dempserat,
Collegit, omnia abstulit prælegmina.

Et Juvenalis. Sat. 10.

--- Plures nimiam congesta pecunia curam
Strangulat, & cuncta exsuperans patrimoniam census.

Offendit id Plautus in citata Comæd. Quantis Euclio, senex ille
curis & intemperis ollam auro fartam, de loco in locum identidem trans-
fert? quam latebram nullam satis tutam putat? quantum oculos emissi-
tios, vel in lusca, & semicæca anu metuit? Chilon Philosophus interro-
gatus, quid essent divitiæ? respondit: Thesaurus malorum, calamitatis
viaticum, improbitatis alimentum. Tullius paradox. 1. nunquam exple-
tur, nec saturatur cupiditatis sitis: neque solum, eam qui habent, libi-
dine augendi excruciantur: sed etiam amittendi metu. Horatius lib. 1.
Sat. 1.

An vigilare metu exanimem noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes: hoc juvat?

Tantalum inter opes magnas inopem fecit copia. Horatius lib. 2.

Sat. 1. Divites sordidos exagitat.

Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Pocula. Quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur: congestis undique saccis
Indormis inhians, & tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Ecclesiastæ pronuntiatum est: cap. 5.

Avarus non implebitur pecunia, nam

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia, crescit.

Avaritia similis hypropi:

Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

S. Augustinus serm. 15. de diversis. c. 15. Divitiæ, inquit, non
afferunt satietatem, sed inflammant cupiditatem; nam vidimus quos-
dam, cum haberent parvam pecuniam, parvis lucris fuisse contentos; sed
postquam cœpit eis abundare, avaritia fauces non clausit, sed extendit:
non irrigavit, sed accendit: poculum respuunt, quia fluvium sitiunt.
Et Senec. Epist. 23. Vidisti aliquando canem missa à Domino frustra pa-
nis, aperto ore captantem? quidquid accipit, protinus integrum devo-
rat, & semper ad spem futuri inhiat. Idem evenit nobis, quidquid ex-

ſpectantibus fortuna projecit, id ſine ullâ voluptate dimittimus ſtatim, ad rapinam alterius erecti. Simile eſt illud Boëtii.

Nil jam parva videntur;
Sed quaſita vorans, ſœva rapacitas
Alios pandit hiatus.

En imaginem Tantalii. Talis fuit Rufinus ille, Prætorii apud Theodoſium Imperatorem Præfectus, & proditor, de quo Claudianus.

Non Tarteffiacis illum fatiaret arenis
Tempeſtas pretioſa Tagi, non Stagna rubentis
Aurea Pactoli; totumque exhauſerit Hermum,
Ardebit majore ſiti.

Nimirum qui mare bibunt, plus ſitiunt, quia falſum eſt; qui opibus ſe ingurgitant, unâ cupiditatem opum hauriunt. Seneca in Hercule Furente:

Componit opes gazis inhians,
Et congeſto pauper in auro eſt.

Avaro namque opes quàm affluunt, tam effluunt.

Memorable eſt, quod à ſcriptoribus traditur, Semiramidem Aſſyriorum reginam, hanc marmori ſepulchrali ſententiam inſcripſiſſe: *Quicumque Rex penuriam pecuniæ paſſus fuerit; hoc patefacto monumento, quantumque voluerit, accipiet.* Quam inſcriptionem Regibus Aſſyriis vel negligentibus, vel mendacem credentibus, imperio ad Perſas translato, de Dariis unus (quorum plures fuerunt) auri cupiditate ſtimulatus, monumentum effregit, pro pecunia mordaciſſimum convitium reperit. *Niſi vir nequam eſſes, ac nummorum inſatiabilis gurgis: nunquam eò deſcendiſſes; ut cadaverum loculos ſcrutareres.* Unde colligis, quoties deludatur ſitis Avaritiæ.

II. (b) Atque hæc de Tantalò, cuius progenies cum avito ſanguine ſcelera traxit. Libidine, ambitione, diſcordia, odiis inteſtinis, fraudibus, parricidali ferro graſſabantur in ſe mutuo. Nempe malus corvus, malum ovum. Parentum vitia transfunduntur in liberos. In Thyeſte flagitiorum initium inceſtus, inde inſidiæ Atreo paratæ, & fatalis arietis furtiva ablatio, & fuga dolofa. Atreus crudelitatis & perfidiæ monſtrum, immaniſſimus latro, ultionem exegit, naturæ humanæ horreſcendam. Sub ſpecie amicitia, dum fratrem amplectitur, oſculatur, ad cœnam invitatur; pro menſa hoſpitali macellum, pro epulo carnificinam inſtruxit inſandam, à quâ Sol ipſe oculos avertit. Adeò parata eſt ingeniis crudelibus

(b) *Qualis ſtirps, tales rami.*

delibus simulatio; spem vultu serenant, cædes & lanienas pectore co-
quunt. Nulla tam dira feritatis scena est, quàm Iracundia, libidine,
avaritiâ, ambitione, invidiâ, stimolata non instruat. Ægisthus Tantalii
nepos, Thyestis filius adulter & parricida (improbitas est catenata) scele-
ra sceleribus cumulavit; & ipse denique cognato ferro cum adultera,
cecidit Nemesi victima, euntibus in orbem execrandis facinoribus, è pe-
filitenti sanguine profluentibus. De Ægistho Ovidius lib. I. de remed.
amoris.

Quæritur, Ægisthus quare sit factus adulter:

In promptu causa est. desidiosus erat.

Hoc agunt, qui nihil agunt. Ex ignaviâ palude quid aliud, quàm
obscœnum exspectes? De *Oreste*, eiusque similibus Poëtæ dicunt: quod
falso pius & sceleratus eodem, dum paternam cædem & pollutum eius
thorum vindicando, manus violentas intulit matri. Unde jus hoc filio
in parentem? an scelus unum plectendum altero? Profugum per alienas
terras circumegerunt manes, animi malè conscii, quemadmodum Cai-
num olim. Verè Tullius in oratione pro Milone: *Magna vis est con-*
scientia: ut neque timeant, qui nihil commiserint: & pœnam semper ante
oculos versari putent, qui peccaverint. Orestes est agitatus ita furiis, ut
dexteram, quâ parricidium commisit, arrosarit & devorârît. Nempe in
quo quis peccat, in eo punitur.

III. Inter Furias etiam mater, quamvis impia, impiè tamen inter-
fecta occurrit armata facibus, incincta colubris Maro 4. *Æncid.*

Aut Agamemnonius scenis agitur Orestes

Armatam facibus matrem, & serpentibus atris

Cùm fugit, ultricésque sedent in limine Diræ.

Elegans locus, & explicatione morali dignus. Orestes immisso
furore percitus ad templum Apollinis, velut ad asylum confugit: nam
per vltices Diras, seu Eumenidas nusquam consistere licebat. Templum
ingredi Furia non audebant (en reverentiam loci sacri, & immunita-
tem) igitur comitæ matris (Clytemnestra) umbrâ, ædem Numinis
obsidebant in vestibulo; denique elapsus Orestes, persequentibus tamen
Diris, Athenas venit in Areopagum ad Iudices, quibus nihil sanctius,
nihil incorruptius. Hi cùm sententiis, ut Tullius ait in Miloniana,
variarent (an scilicet condemnarent; an absolverent reum) liberatus est
Oraculo Deæ Minervæ, & sanitati mentis restitutus, cùm jam antè per
sororem Iphigeniam, ad aram Dianæ Tauricæ expiatus fuisset, non ta-
men

men omnino à Furiis quietus; donec Minervæ tanquam sapientissimæ, calculus absolutionis accessit.

Quò ostenditur nullum esse facinus tam impium & sceleratum, quod animo pœnitenti detestatum, non inveniatur locum veniæ, si non apud homines (quales Areopagita fuerunt) certè apud superos, ritè placatos. Ultrices Diras (Suetonio teste) sensit Nero parricida, materna specie cum verberibus ac tædis ardentibus incurrentes. Sensit Caracalla Imp. (Xiphilino narrante) pœnas fratris occisi, insectantibus Furiis exolvens. Sensit Imp. Constans, (referente Cedreno) Theodosii, fratris interempti umbris inquietatus. In vitis PP. legimus umbram pueri ab homicida occisi, jugiter hominem, etiam monachum jam effectum, fuisse persecutum, & identidem ei exprobrasse: *Cur me occidisti?* ita, ut angore & tœdio victus, monasterio egressus ultrò se iudici plectendum tradiderit. Tullius in Rosciana, nolite, inquit, putare, quemadmodum in fabulis sæpenumero videtis, eos, qui aliquid impiè, sceletatèque commiserint, agitari & perterri Furiarum tædis ardentibus. Sua quemque fraus, & suus terror maximè vexat: suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit, suæ malæ cogitationes, conscientia animi terrent. Hæ sunt impiis assidua, domesticæque Furia: quæ dies noctesque parentum pœnas à consceleratissimis filiis repetunt. Idem in Pisoniana: Nolite putare, ut in scena videtis, homines consceleratos impulsu Deorum, terri Furiarum tædis ardentibus: Sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia, de sanitate ac mente deturbat. Hæ sunt impiorum Furia, hæ flammæ, hæ faces, hæ flagella, catenæ, serpentes, tormenta, quibus ultrices Diræ munus suum in reos exequantur.

